DE TACTICA PRAESIDE M. JOHANNE MEISNERO TORG. PUBLICÈ DISPUTABIT HEINRICUS...

Johann Meisner, Heinricus Altermannus, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

AD DN. RESPONDENTEM.

ECquid hoc HENRICE quidnam eſt? in Lyceum & in ſcholas
Campum & arma ærata transfers Martiumq; pulverem?
Vim ſcientia adgubernat & docet victoriam:
Quique poſt Lycéa campum Ductor ingreſſus fuit,
Hunc fere majus ſecutum eſt per peritiam decus.

Auguſtus Buchnerus.

ESt aliqvid vaſtis Mavortia claſsica campis
Diſcere; & ærata caſsidè caſtra ſeqvi.
At nunc arma ſcholæ; cuneos, ſine vulnere bella,
Inſenſasq; acies pulpita veſtra docent.

f.

Wilhelmus W. F. Lyſcrus.

I.

DUæ ſunt res, quibus præcipuè ordinatur, & regitur vita hominum, *Leges* & *Arma*, quarum una belli, altera pacis tempore cumprimis obſervanda: Utraque Reipub tàm neceſſaria, ut absque una ſi ſit, nec munere illa ſuo fungatur, nedum ut perfecta exiſtat, ſicut id rectè egregiâ & memorabili prorſus voce Sapientiſsimus Imperator docet; *Imperatoriam*, inquit, *majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari.* Et alibi. *Summa Reipub. tuitio, de ſtirpe duarum rerum, Armorum atque Legum, veniens, vimque ſuam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibus gentibus dominari, tàm præteritis efficit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet: iſtorum n. alterum alterius auxilio ſemper eguit, & tàm militaris res legibus in tuto collocata eſt. quàm ipſæ leges armorum præſidio ſervatæ ſunt.* *Proœm. Inſtit.*

II. Statuatur igitur inſigniores Reip. virtutes eſſe, & pacis noſſe tempora, nec interim tamen negligere arma, cui indicio eſt, quod niſi utroque æquè inſtructa ſit, non factura ſit ſuum officium. Idquè rectè *Plato, Pollux, Lipſius*, cæteriq; rei civilis magiſtri uno ore atteſtantur. *Plato: Facilè eæ civitates ab extraneis evertuntur, quæ prorſus arma deſeruerunt, ſeq; totas paci & otio tradiderunt, abjecto omni rei bellicæ exercitio, rerumq; militarium ſtudio.* Quæ omnia veriſsima eſſe, & res ipſa loquitur, & contentiunt plerique, quotquot ſunt eruditi. *De LL.*

III. Quid? quod non tantùm profani ſcriptores, ſed & ſacri libri id inculcant paſsim? David certè media pace, principes, tribunos, centuriones, præfectosq; tribuum conſtituit 1. Par. 27. quo etiam illud nonnulli referunt cum præcepit, ut docerent Judæos arcum, ſeu modum bellandi 2. Sam. 1. 18. Patris exemplum ſecutus Salomo filius, Joſaphat, aliique populi Judaici rectores, rerumque humanarum principes, qui cum ad tantum illarum faſtigium perveniſſent. ut arbitrium earum penes ipſos foret, & Dij in his terris eſſent, nullâ tamen aliâ magis re id ſunt conſecuti, quàm quod in pace belli quoque negotia tractarent. Salomo, Regum Sapientiſsimus, tempore pacis arma currus militares, equos, equites, legiones certis oppidis deſcriptas habuit, & in media pace tractavit 1. Reg 4. 26. & ſeq. 2. Paral. 1. 14. c. 9. 25. 26. Idem animus Romanis Imperatoribus, totius orbis Dominis, fuit, Adriano, Antonino Pio, Alexandro Severo, qui poſtremus, ut ait

Lampridius, ideò ſummus fuit Imperator, quòd Ulpiani Conſilio Remp. adminiſtrarit.

IV. Quæ cum ita, ut diximus, ſe habeant, ut de iis dubitari à nemine poſsit, non præter rem facturi videmur, ſi quæ de ſingulis à Politicis obſervata legimus, ad diſputandum proponamus. Sed quia id tàm paucis fieri nunc non poteſt, belli tantùm tempus adducemus, nec id quidem univerſum, ſed quæ ad præcipuam ejus partem, aciem videlicet rectè ordinandam, inſtituendamque pertinere cumprimis videbuntur.

V. Hanc ſcientiæ militaris partem Græci Τακτικὴν dixerunt, quam qui tenent, acies inſtruere norunt. Ælianus θεωρίαν τακτικὴν appellat, ejusq; artis peritos τακτικούς, & quæ ex illis in commentarios retulére τακτικά. Atque huic tantum tribuere antiqui, ut ſummi principes eam & adamarent vehementer, & ejus cultores ſummo in pretio haberent, ut de *Doryl*ao materno avo, qui & ipſe ὁ τακτικός, *Strabo* commemorat. Sanè ex antiquioribus multos nominare poſſumus, qui ipſi non tantùm Τακτικοὶ fuerunt, ſed & ejus magiſterium profitebantur. Nam Leonis Imperatoris libri in nonnullis Codicibus, ſi Caſaubono credimus, ita inſcribuntur: τῶν ἐν πολέμοις τακτικῶν σύντομος παράδοσις. Hic, quoties de arte militari, aut aciebus inſtruendis commentatur, usq; adeò præclarorum præceptorum & exemplorum nihil reliquum facit, ut cæteris omnibus palmam in eo genere ambiguam reddat. Cyrum quoq; ſuum Xenophon magnoperè commendat, eumq; omnes boni Imperatoris partes obiiſſe oſtendit. Cui rei quidem ille hoc argumentum præter cætera dicit, quod curæ ei fuerit in caſtris, quamdiu hoſtes nondum adeſſent, ſuos, cùm in aliis exercere, tùm διδάσκειν τὰ τακτικά. Hinc ipſi τακτικὸς & ἀνὴρ τακτικὸς alibi vocatur, ubi & Tactici officium eleganter deſcribit.

Lib. 10. p. 477. & 12. p. 857.

Not. ad Ænea. tactica.

Lib. 2. παιδείας.

Lib. 8. παιδ.

VI. Tales præterea fuerunt Mauricius Auguſtus, Xantippus Lacedæmonius apud *Polyb.* & Theodotas Rhodius apud *Lucianum*: Pyrrhus, Epirotarum Rex, & Alexander ejus filius, Stratocles, Hermias, Frontinus, Polybius Megapolitanus, Eupolemus, Iphicrates, Poſidonius Stoicus, aliique, quos recenſet *Ælianus* princ. libri De inſtruendis aciebus: qui ipſi argumentum hoc occuparunt, & perſecuti præclarè ſunt, quæ in hoc genere explicanda ſibi ſumpſerunt. Sed ex quorum commentariis nihil ferè hodiè extat,

Lib. 1. p. 33.

In Zeuxide ſeu Antiocho.

tat, præter Polybij, Frontini, Æneæ, & pauca alia fragmenta, quibus reliquiis tàm pulchrorum ac divinorum monumentorum, quæ perierunt, deſiderium ſolamur.

VII. Cæterùm diſciplina militaris, tàm quæ apud Veteres obſervata legitur, quàm quæ hodiernæ rationi accommodata & congrua maxime videtur, aliunde rectius peti non poteſt, quàm primum ex commentariis, pòſt arte & ſcientiâ eorum, qui caſtra ſecuti ſunt, ac tandem ipſo uſu & experientiâ, ſicut id rectè Polybius in fragmentis apud Suidam docet; *πρώτου μὲν διὰ τῶν ὑπομνημάτων, καὶ τῆς ἐκ τούτων κατασκευῆς· ἑτέρου δὲ τοῦ μεθοδικοῦ, καὶ τῆς παρὰ τῶν ἐμπείρων ἀνδρῶν παραδόσεως· Τρίτου δὲ τοῦ διὰ τῆς ἐπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἕξεως καὶ τριβῆς.* Duo priora non tantùm iſte acquirere ſibi poteſt, qui ipſe in exercitu verſatus, ſed & qui alio quodam modo ejus cognitionem comparare ſibi cupit. Ultimum non niſi per accidens accedit, & ad expeditum magis ejus uſum ſpectat.

VIII. Sed quæ aliàs poterant dici de belli cauſsis, jure, delectu militari, aliisq; quæ ad bellum aut ſuſcipiendum rectè aut legitimè gerendum pertinent, multis hic exponere noſtri non eſt inſtituti. Utique ſi omnia perſequi velimus, magna nos circumflueret rerum copia. Tantùm hic ea in mentem revocabimus, quæ ad aciem rectè ordinandam, inſtruendamq; ſpectant: Cujus rei documentum de Romanâ, omnium ſine dubio Rerump. quas Sol unquam aſpexit, præſtantiſsimâ feliciſsimaq; capiemus. Hos enim auctores, & ſi qui ſunt iis ſimiles conſulere oportet, qui hac in parte operæ pretium facere volet.

IX. Ut autem eò rectius & diſtinctè magis omnia explicentur, in tres potiſsimùm partes totam hanc *περὶ τακτικῆς* tractationem diſpeſcere libet. *Primo* quidem indicabimus, quid ſit acies & quæ ejus partes. *Deinde* dicemus, de variis ejus formis, apud antiquos & ſpeciebus. *Tertio* addemus etiam nonnulla de Germanis.

X. Ante autem, quam à nobis id fiat, præmittenda ante omnia, & removenda hinc ea ſunt, quæ in quæſtionem non veniunt, Imperatori autem præ cæteris ſunt providenda: Non enim ſufficit imperatoriâ arte præditum eſſe, ſi arma deſint, aut exercitus, aut nemo ſit, qui ea, quæ prudenter excogitata ſunt, impigrè exequatur. Talia ſunt de idoneo ſibi ſuisque occupando loco, contraq; hoſtibus alieniſsimo, â cœlo, ſolo, equis, equite, ſole, pulvere, vento. Nam &

hæc multum poſſe tot luculenti autores teſtantur. Idque in Hannibalis callidiſsimi Imperatoris victoria de Romanis, apud Cannas
r. c.6. parta, Livius & Florus, Plutar. in Annibale, Frontinus alijq; conſtitiſſe ajunt. Hinc *Vegetius: Ordinaturus aciem tria debet ante proſpicere,*
2. c. 2.
3. c. 14. *Solem, pulverem, ventum. Nam ſol ante faciem eripit viſum, ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hoſtium adjuvat tela. Pulvis a fronte congeſtus oculos implet & claudit.*

XI. Deinde id quoque eſt monendum, ad Imperatoris munus cumprimis pertinere, proſpicere diligenter, ut minori cum labore & periculo copiarum aciem committat, quod fit, ſi ex inſidiis & per
Conſtit. c. 12. ſtratagemata hoſtem adoriatur; quod præclarè, uti cætera omnia,
§. 158. Leo Imperator monet. Certum enim eſt viros aliàs etiam ſapientiſsimos idem partim feciſſe, partim ut rectè & præclare factum comprobaſſe, ut putidum fere videatur, ſi multa ejus rei exempla coacervemus, cum paſsim ſint obvia, & ſi opus ſit non modio, ſed horreo ea poſſis admetiri.

XII. Tandem etiam illud obſervare debet, ut ſemper evitet impetum, quantum poteſt, nec collatis ſignis decertet, *niſi ſumma ne-*
l. 3. c. 3. *ceſsitudo, aut ſumma ei occaſio data ſit*, ut ſapienter apud *Agell. Paullus*
l. 4. de mil. *Æmilius* monet: quod quidem multis de cauſis fieri rectè poſſe *Her-*
equeſtri c. 5. *mannus Hugo*, Hiſpanus, oſtendit.
p. 282. XIII. Eſt autem acies ordo â Duce Exercitus inſtitutus ad confligendum cum hoſte.

XIV. Quæ definitio ut eò rectiùs intelligatur, notandum eſt primò, excludi hic â nobis monomachias, ſeu ſolitarias pugnas, cum duo leviſsimâ ſæpè de cauſsâ, privatâ auctoritate, vel ad oſtentandas vires, defenſionem honoris, aut fortunarum, ad voluptatem ſpectaculi, aliasque res temerè concurrunt, & vitam ambiguo monomachiæ eventui committunt.

XV. Deinde etiam accuratius eſt diſtinguendum duplex pugnæ genus. Hæc enim eſt vel oblata vel defenſa, ſeu ut vulgò loqui ſolent, Offenſiva & Defenſiva, quarum altera valet ad inferendam vim, altera ad declinandam, quòd in militibus æquè procedit.

XVI. Denique & partes aciei probæ ſunt notandæ, quæ quamvis diverſis temporibus diverſæ fuerunt, plerumq; tamen id obtinuit, ut in tres cumprimis ſit diviſa, duo cornua ab utroque latere, & frontem in medio, quæ varias ſortita eſt appellationes. Macedones phalan-

phalangem, Romani frontem, alij cuneum appellarunt. Livius: *Cuneum Macedonum, phalangem ipſi vocant.* Alij caput porcinum. *Vegetius: Cuneus multitudo peditum, quæ primo anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit. Quare milites caput porcinum appellant.* Deſcriptionem ejus accuratiſsimè omnium tradidit Ælianus *De inſtruendis aciebus*, unde peti poſſunt, quæ huc videntur pertinere. Lib. 32. Lib. 3. c. 19. Cap. 18.

XVII. Poſtmodùm cùm progreſſu temporis animadverſum eſſet, hanc aciem ſimplicem conculcari facilè poſſe, niſi aliis ſubinde fuerit fulcita, triplicem aciem à tergo conſtituerunt, ut primâ diſsipatâ ſuccederet alia, huic rurſus tertia, & ſic porrò, cujus quidem exempla producere nobis difficile non eſſet, niſi ubique eſſent obviam. Satis eſt unum exempli gratiâ proferre, ne plura enumerando & fatigemus lectores, & in manifeſtis nimis diu hæreamus. Polybius & Lib. 14. rei Romanæ ſcriptor accuratiſsimus, & militiæ peritiſsimus in pugna Rom. cum Carthag. ita ſcribit. *Publius in acie inſtruenda Romanæ militiæ conſuetudinem ſimpliciter ſervavit. In prima acie locavit ſigna haſtatorum, deinde principum, poſtremos omnium in ſubſidiis triarios.* Et iterum Lib. 15. in memorabili illa Scipionis cum Hannibale pugna: *Scipio copiarum ſuarum ordines ita diſpoſuit. Primum haſtatos eorumq; manipulos per intervalla, horum à tergo principes locavit, poſitis eorum manipulis, ex adverſo vacui ſpatij, quo diſtabant invicem haſtatorum manipuli, ſicut mos eſt Romanorum, ſed alios poſt alios in eadem ſerie cum aliquo intervallo, propter multitudinem elephantorum, quos Pœni habebant. Ultimos in extremâ acie Triarios conſtituit.* Hæc Polybius diverſis locis, quibus nihil addi poſſet amplius, niſi T. Livius, & ipſe rei militaris peritiſsimus, & Polybij ſectator rem totam adhuc uberius perſecutus fuiſſet. Non autem Lib. 8. pigebit ipſa ejus huc adſcribere verba: *Haſtati,* inquit, *omnium primi pugnam inibant. Si haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum principum pugna erat, haſtati ſequebantur. Triarij ſub vexillis conſidebant, ſiniſtro crure porrecto, ſcuta innixa humeris, haſtas ſub erectâ cuſpide in terrâ fixas, haud ſecus quam vallo ſepta inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud ſatis proſperè pugnatum eſſet, â prima acie ad Triarios ſenſim referebãtur.*

XVIII. Quibus ita expoſitis, facilè jam eſt omnia uno quaſi faſciculo colligare, & verbo deſignare, quid contineant ea, de quibus hactenus diſſeruimus. Liquet autem inde *Primò*, Aciem plerunque ferè triplicem fuiſſe, & primò conſtitiſſe haſtatos, pòſt Principes, tandem

dem autem Triarios. *Deinde*, id quoque patet, principium pugnæ ab haſtatis factum fuiſſe, quicquid contra aſſerat *Renatus*. *Denique* & illud non obſcurè colligitur, quantum momenti in eo poſitum ſit, ſi milites habeant, unde fatigati ſeſe recipere poſsint. Fuerunt iſti ſini apud Romanos certa intervalla & ſpatia, quibus ex anteſignanis recipiebantur, ſi fortè hoſtium vim ſuſtinere minus poſſent. Unde factum, ut non tantùm adverſariorum inſultus facilè eluderent, ſed ipſi etiam hoc magis corroborarentur, quo impotentius impetebantur, certè ut facilius expugnarent, quorum acies integris adhuc & recentibus, ſervatisq; præſidiis impeterent. Idque cumprimis neceſſarium maximiq; nonnunquam ad victoriam momenti eſſe Leo Imperator, & Livius egregiè in deſcriptione pugnæ Petilij conſulis adverſus Sammites, docet. *Subſidiarias* inquit, *cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſervabantur, in primam aciem extemplò emiſit, univerſisq; hoſtem primo impetu viribus impulit*. Idem *Flavius Renatus*, ſed tanto accuratius pertractat, quanto copioſius ipſe exponit. *Optima*, inquit, *ratio eſt, & ad victoriam plurimùm confert, ut lectiſsimos de peditibus & equitibus habeat dux poſt aciem in ſubſidiu præparatos; alios circa cornua, alios circa medium, ut ſicubi hoſtis vehementius inſiſtit, ne rumpatur acies, provolent ſubitò & suppleant loca, additaq; virtute inimicorum audaciam frangant.*

Conſtit. 12. §. 15. ſeqq.
l. 9.
l. 3. c. 17.

XIX. Quod autem Vegetius hoc loco addit, poſt aciem lectiſsimos eſſe collocandos, id maximam hodie utilitatem habet; Verberibus enim ignavos agunt in hoſtem, ut undique obſeſsi nullam elabendi viam ſibi relictam exiſtiment. Quo pacto pugnabatur ſub Aſtyage ultimo rege Medorum contra Cyrum. Ille enim *à tergo partem exercitus copiis ſuis ponebat, denuncians iis, ni vincerent, non minus fortes etiam poſt terga inventuros quàm à frontibus viros*. Juſtin. Qui quidem milites etſi verè fortes dicendi non ſint, cum metu magis & neceſsitate ſe viros præſtent, certum tamen eſt, eo quoque modo ſæpè feliciſsimè pugnatum, namque *cum ſpei nihil eſt, ſumit arma etiam formido, & libenter cupit commori, qui ſine dubio ſcit ſe moriturum*, Veget. Hoc pacto memorabilem illam in Ciliciæ anguſtiis victoriam contra Darium obtinuit Alexander, *cum hoſtis inſtaret à fronte, à tergo ſui urgerent*, ut loquitur *Curtius*.

Lib. 1. c. 6.
Lib. 3. de re mil. c. 3.
Lib. 3.

XX. Hæc autem ita ſe habent. Cæterum formæ acierum apud diverſos fuerunt diverſæ. Primò enim, cum plerique aciem in tres

claſſe,

claſſes diſtribuerent, cornua & frontem, peritiſſimi quique in fronte palmarium collocarunt, eamque ſine cornibus rem conficere arbitrati ſunt, quidam cum cornibus. Utrique quidem rectè quadantenus. Nam ſi in anguſtiis locorum hæreat Imperator cum ſuis, aut inter duo flumina, rectè cornua & corpus reliquum conjunguntur; Sin autem in aperto deprehenſus fuerit, rectè univerſam etiam extendit aciem, ne circumveniri multitudine & claudi poſſit.

XXI. Septem autem ferè modis prœlium committi poſſe *Vegetius* docet. *De-* *Lib.3, cap.20.*
pugnationum, inquit, *ſeptem ſunt genera.* Una depugnatio eſt fronte longâ exercitu quadro. Hanc ipſe mox rejicit, nec in ea equitis diſtinctam facit mentionem. Secunda eſt obliqua, cum dexterâ ala inchoatur certamen. Tertia, cum à ſiniſtro cornu. Quarta, cum ex utroque cornu impetus fit in hoſtem. Quinta eadem quidem eſt cum quarta, niſi quod in iſta leves primum pedites Sagittariiq; ante mediam aciem collocentur. Sexta eſt propè ſimilis ſecundæ. Septima eſt, quæ loci beneficio adjuvat dimicantem, ſi nempe montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut civitatem, aut paludes, aut abrupta ex una parte habeas, ex qua hoſtis non poſſit accedere, & reliquum exercitum tuum directâ acie ordines.

XXII. Sed omnes depugnandi modos non exhauſit Vegetius; Nam & Octavus quoque addi poteſt, quo eques poſt peditum locatus, ſubitò per cohortium intervalla ad primos ordines præcurrens prœlioſe committit. Et certè difficile nobis non eſſet ad oculum demonſtrare, ſolos iſtos cauſam victoriæ ſæpiſſimè extitiſſe, quod nec ipſe Renatus diſſimulare poteſt. *Optima,* inquit, *ratio eſt, & ad victoriam plurimùm confert, ut lectiſſimos de peditibus & equitibus habeat Dux poſt aciem præparatos, alios circa cornua, alios circa medium.*

XXIII. Ad horum rationem proximè Velites accedunt, qui in intervallis collocati, *leviſſimè omnium armantur, quocirca vel expeditos nuncupari eosdem licuit,* juxta Ælianum. Iſti honeſtiſſimi & pulcherrimi facinoris conſcientiâ ducti, & hoſtium vires primi omnium tentare, & ſi ſuperati fortè fuiſſent, retrocedere in intervalla manipulorum, ſeq; tutò recipere ſine detrimento exercitus potuerunt. Hoc cum animadvertiſſent Cæſar, Germaniq;, ille contra Gallos, hi plerumq; fermè, frequenter victoriam contra hoſtes obtinuerunt. *In univerſum æſtimanti, plus penes peditem roboris, eoque mixti prœliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant,* ait Tac. de Germanis. Et profectò nihil verius vel ex tripode dici poterat. Eâ enim arte pugnantes ipſis etiam Romanis terribiles fuerunt. Hâc deniq; Epaminondas Remp. Thebanorum nullo ante ipſam memorabili bello claram, & ab hoſte liberavit, & eò usq; evexit, ut cum *Conſtit. 3.*
Lacedæmone de principatu contendere auderet. In quam rem plura adducit Leo Imperator. Unde accepimus tantum ſemper ejus fuiſſe uſum, ut nullum penè prælium *§. 66.*
fuerit commiſſum, quo non adhibita fuerit.

XXIV. Sed quod diximus de formis acierum id ipſum ex Catone in De re militari, docet Feſtus: *Sive fortè opus ſit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut ſerra ut adoriare.* Item Gellius, *Vocabula ſunt militaria,* inquit, *quibus inſtructa certo modo acies ſolet appellari, Frons, ſubſidia, cuneus, orbis, globus, Forfices, ſerra, Alæ Turres.* Singulorum hîc inſtitui examen facilè poterat, verùm quia hoc accuratè jam ab Æliano in De aciebus inſtruendis, Lipſioq; de milit. Rom. factum eſt, & nos ad finem properamus, labore iſto nunc quidem ſuperſedebimus. *Lib.10. cap.9.* *Lib.4. Dial.7.*

XXV. Hæc eſt vera ſententia de ratione inſtruendæ aciei, quam veterum Romanorum.

norum.

n orum plerique, quiq; eo tempore vixerunt, cum Reſp. floreret, obſervarunt: atque ita ad finem univerſam hanc περὶ τακτικῆς tractationem, quantum quidem viſum uobis fuit, perduximus, quem antequam ei imponamus, uuum adhuc præcipuè & cumprimis obſervandum reſtat.

XXVI. Quantum his maiores noſtri tribuerint, tùm à prima uſque origine, tum adhuc ſuperiori ſeculo hiſtoriæ loquuntur. Nemo militiæ nomen dare potuit, niſi qui probatus ante ſatis atq; exploratus eſſet. Hæc exercitia juventutis, luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, certare cum fugacibus curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu, idem robur corporis in maria proferre, rigentia gelu flumina nodo ſuperare, deniq; & tractare arcum, gladios, frameasq; vibrare, ac non tantum duritiem corporis ac lacertorum ſibi comparare, ſed & animum, qui his validior toto corpore imperitet. His artibus futuri milites imbuebantur;
Conſtit. 7. plane ad eum modum, quem Leo Imp. militibus ſuis obſervandum præſcribit.
De mor. Germ. c. 13. De Germanis Tacitus; *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaq; juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honor; ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ.* Similiter & magnus ille e porticu Doctor:
Seneca. *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriunturq; quorum unica illis cura eſt, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugium adverſus perpetuum cœl. rigorem*

XXVII. Jam autem cogita in ipſo bello, quàm prudenter quam ſapienter pleraque inſtituta. Manipulos & cohortes non fortuitus quidam caſus, ſed propinquitas facit quod præclarè rurſus Cornelius exequitur. *Quod præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates.*
c. 7.

XXIIX. In pugna autem ipſa, quales ſe præſtiterint, ſolus Arminius teſtis eſt, qui ſi palmam Romanis non præripuit, ambiguam certè iis reddidit, ſæpius victor, quam victus, & ſi genus pugnæ & armorum, fortunamq; excipias, ipſis viribus audaciaque & conſtantia longè ſuperior. Audiamus hic ſemel adhuc magnum illum Romano-
c. 14. rum ſcriptorem, quem jam aliquoties adduximus; *Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Iam vero infame in omnem vitam ac probroſum ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoq; fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.* Nemo certe cum iis bellum geſſit, ſi eidem fides, quem non pœnituerit, quiq; non plus ex illo jacturæ quàm com-
Tacit de moribus Germ. c. 37. modi acceperit, quos Romani ipſi vix ducentis & decem annis ſubegerunt, & deniq; triumpharunt magis, quam vicerunt.

XXIX. Quid poterat dici præclarius? aut quid mirum? ſi tum Reſpub. Germanorum floruit? utinam autem, quam proprium id majoribus noſtris fuit, ita hodie omnibus, præſertim primis in Rep. unde cæteri exempla capiunt, perſvaſum eſſet! Utinam cogitemus non tantum Græcos & Romanos, ſed Reſp. in univerſum omnes tamdiu floruiſſe, quamdiu præclaras illas artes excoluerunt! cecidiſſe autem cum contra fieret! Utinam militaris ars, quam illi ſolam olim, nos nunc una cum literis tractamus, ſeriò nobis curæ eſſet, ſine dubio meliori loco res noſtræ futuræ eſſent!

SOLI DEO GLORIA!